



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 140. Ad quem spectent fructus Beneficii resignati.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42600**

titulo abdicasse omne jus à se, *Tond. Lott.* Oppositum est in moriente, nam hic nihil disponit circa beneficium & fructus, hinc fructus civiles spectant ad hæredes, secundùm ratam temporis, quo defunctus beneficium habuit, secundùm dicta à n. 950, docentque *Bonac. Monet. Tond. Lott.* In resignatione in favorem, fructus civiles debentur resignanti usque ad tempus acceptationis, *Tond. Lott.* Naturales autem fructus & mixti adhuc pendent, secundùm aliquos spectant ad resignatarium, sicut spectarent ad successorem & non ad hæredes, si resignans fuisset mortuus, quia Clerici in vita separantur usufructuariis, qui secundùm *Nav. Monet. Bonac. Tond.* solos fructus jam collectos & solo separatos faciunt suos; sed secundùm *Cov. Mol. Garc. But. Paris. Fil.* & alios spectant partim ad resignantem partim ad resignatarium, secundùm ratam temporis, quo beneficium habuerunt, æquum enim est, ut qui habet titulum & præstat officium, gaudeat beneficii fructu; quod magis valet de fructibus tempore resignationis à solo separatis, licet nondum exactis vel invectis, *Paris. Leur.* q. 247.

963 Q. 140. *Ad quem spectent obligationes, immo commoda & incommoda beneficio resignato nexa. R.*

§. I. Successor in beneficio etiam nulliter resignato, per se loquendo, tenetur ex fructibus, si hoc percipiat, solvere pensiones & onera realia beneficiorum imposita, resignans tamen tenetur illa præstare usque ad tempus resignationis, *Gig. Barb. Paris.* Et si hic neglexerit, putant aliqui resignatarium teneri, sicut possessor fundi tenetur ad decimas prædiales de præterito non solutas. Vide *Leur* p. 3. q. 248.

964 §. II. Resignans, post resignationem admissam, non tenetur amplius vi beneficii ad Horas, *Nav. Paris.*

*Paris. Barb.*, resignatarium autem teneri statim post collationem acceptatam, etiam ante captam possessionem, docet *Nay.*, quia habet jus in beneficio, sed contradicit *Paris.*, quia à possessione capta numerantur illi sex menses, intra quos, si non oret, priuatur beneficiatus fructibus & tenetur perceptos restituere, uti dicetur n. 1201. *Barb.* sentit cum *Nay.*, si resignarius ante possessionem captam percipiat fructus, si autem non percipiat, sentit cum *Paris.* Quod si resignatio datus sit merus titulus, & omnes fructus ex licentia Papæ relinquuntur in pensionem resignantis, *Caj. Sandoval. Sanch. Hurt.* dicunt resignatarium non teneri ad Horas, quod probabile esse facetur *Bonac.* (quamvis cum aliis multis dissentiat) Idem dicunt *Mandof. Sarn. Paris.*, si hoc ita dispositum sit jam antè ex consensu prædecessoris, non autem si fiat de consensu ipsiusmet resignarii retinentis aliquod servitium beneficio annexum, nam tunc per ipsum stat, quo minùs fructus saltem aliquos habeat; & hoc etiam tenet *Lugo* in Resp. Mor. l. 5 d. 6. n. 4. (rectè addens, si neglegat, non obligari ad restitutionem, cùm nihil percipiat) sed *Hurt.* adhuc contradicit, quia Papa sic dividens fructus à beneficio videtur etiam liberasse resignatarium onere legendi Horas, resignans autem sive pensionarius erit similiter liber & tantùm tenetur ad officium parvum B. V., secundūm dicenda n. 1156. Vide *Leur.* q. 249.

§. III. Si beneficium requirat residentiam, purè 965  
resignans post resignationem à Superiore admissam non tenetur residere, etiamsi ei reservati sint omnes fructus & stallum in choro, *Gig. Sarn. Paris.* Resignans in favorem tenetur, quamdiu percipit fructus *Barb.* Resignarius tenetur statim à possessione capta, *Paris. Leur.* q. 250.

966 §. IV. Si Papa aliquam causam commiserit decidendam Titio in dignitate constituto, & Titius hanc dignitatem resignet post acceptatam commissionem, Abb. putat hanc cessare, quia facta erat intuitu dignitatis, quæ cessavit, non aliter ac Legatus ex provincia reversus absolvere non potest causam in provincia inceptam: Oppositum tenent alii communis cum Paris., dummodo resignans non sit factus incapax talis commissionis, v. g. per matrimonium, quia in talibus spectatur initium, ergo satis erat adesse dignitatem, quando dabatur commissio. Quod si Commissarius moriatur, & in commissione erat expressum solum nomen dignitatis, commissio transit ad successorem in dignitate; si erat expressum nomen proprium Commissarii, commissio extinguitur, Cap. Quoniam Abbas, de off. leg. Paris. Leur. q. 251.

967 §. V. Omnia commoda & jura, quæ conveniebant resignanti ratione beneficii, transeunt in resignatarium, quia habet beneficium, in quo fundantur, & resignans censetur mortuus, Rota, Burf. Paris. Leur. q. 252. Si tamen resignans non probetur pacificè possedisse per triennium, & aliis contradictor titulum suum justificasser, deberet resignatus justificare titulum resignantis, Rota, Calder. Lott. Vide Leur. q. 253. Similiter qui jus suum fundat in resignatione, tenetur hujus existentiam & valorem probare, Burf. Luca, Leur. q. 254.

968 §. VI. Resignatus tenetur stare locatione per resignantem facta nomine Ecclesiæ, ut etiam si contraxerit expresso nomine officii propter utilitatem Ecclesiæ; non autem tenetur stare facta per resignantem nomine proprio; & idem videtur esse de quocumque successore in beneficio, Tond. Paris. & alii. Vide Leur. q. 255. Tenetur etiam resi-

gnata-

gnatarius stare transactio[n]e vel pactis per resignan-  
tem factis, dummodo adsit confirmatio Superioris,  
*Paris. Rebuff Leur. q. 256.* Item tenetur solvere de-  
bita à resignante contracta pro necessitate Ecclesiæ,  
*Cap. 1. De solut. ; Quod Rota, Abb. Mandos. Pa-*  
*ris. extendunt etiam ad debita contracta pro illo,*  
qui Ecclesiæ possidet, quia ipso indigente censem-  
tur indigere Ecclesia, quæ necessitat[i] suorum Minis-  
trorum servit, nisi forte hæc contraxisset volunta-  
t[er]. Vide *Leur. q. 257.* Tenetur quoque resignatari-  
us præstare alimenta resignanti in favorem suum,  
si forte ipsi desint, uti donatarius tenetur donatori:  
Videtur etiam teneri præstare resignanti purè, nam  
additur, *modò resignans aliunde vivere valeat.* Vide  
*Luca de benef. d. 37. n. 15.* Etiam tenetur purgare at-  
tentata ante resignationem à resignante circa benefi-  
cium commissa, *Lancell. Paris. Leur. q. 259.* Item spo-  
lium, cum res transeat cum suo vitio, *Cap. Ex par-*  
*ti, de Testibus, Sarn. Paris. Leur. q. 260.* Si autem  
resignans aliquid contra se fassus est ante resigna-  
tionem, debet illo stare resignatarius, nisi aliunde  
prætendat aliud jus, *Paris. Lott. Leur. q. 261.* Sen-  
tentia autem contra resignantem lata post resigna-  
tionem non nocet resignatario, quia resignans jam  
censebatur mortuus, *Rota, Paris. Leur. q. 262.*

*Q. 141. Quomodo resignans possit mutare aut 969  
revocare consensum, vel redire ad beneficium. R.*

§. I. Si quis resignet in favorem plurium, sola  
resignatio pro primo est valida, licet posterior effet  
sub priore Data, uti haber Reg. 40. Cancell. ; Et se-  
cundus est intrusus, nec præscribit, licet per trien-  
nium possideat, uti volunt multi, vide tamen di-  
cta n. 714. Dicuntque hoc tenere, quamvis pro pri-  
mo resignasset per procuratorem aut apud Ordinarium,  
pro secundo autem per seipsum aut apud